

# FRAGMENTUM

# CARMINIS EPICI

HEXAMETRA

J. PRATI.

EXEMPLARIA EXCUSA N. CL.

N. 85.

# FRAGMENTUM

# CARMINIS EPICI

HEXAMETRA

## J. PRATI.

Vidimus Hesperiam magnam : dant numina Thybrim !
Carmine romano, Musæ, nunc rite litandum.




ROMÆ,
TIPIS G. BARBÈRÆ

MDCCCLXXII.

TIBI

VIRGILI

RERUM · ET · TEMPORUM · CUSTOS

AUCTOR · ROMANI · CARMINIS

DEORUM · SACERDOS

QUI

NON · FORTUNÆ · NON · VULGO

SED

TUAM · RESTITUES · ITALIAM

RECORDATURIS

# FRAGMENTUM.

(Prœlio restituto, diversum describitur internecionis genus et postremo obitus Coryli).

. . . . . . . Succedunt agmina fusis
Agminibus: rursus pugna instauratur: ovantes
Procurrunt socii: longas it clamor ad auras.
Procurrunt; fractique ruunt Pariusque, Thimasque,
Neptonimusque, acerque Dorax, agitator equarum.
Deicitur leto Meridas, quem stirpe latinum
Graiugena sed patre satum pater ipse Corynthо
Miserat Ausoniam, generis testatus amorem.
Nec te, nate Deûm, Palion, servavit origo,
Nec Phœbi, Melinunte, sacer te texit amyctus.
Oppetit, accipitrum per aperta cacumina pernix
Venator, Perimantus. Adhuc latebrosa putabas
Lustra agere, immites nigra sub nube volucres
Intercepturus: sed Dî risere maligni:
Accipitrumque jacens memorum laniabere rostro.
Pectora procumbit ruptus Verolinus agrestis,
Cui duo candentes findebant arva juvenci,
Candentes stabulo carpebant vimina montis,
Candentes parvo referebant parva novali.
Dulce magisterium !; sed non contentus in illo,

Cristatus galeam, prædas laudemque petivit,
Nunc moritur, gemituque boves reminiscitur albas.
Concidit Antinomusque: ferox hominumque Deûmque
Contemptor, jactabat ovans: « Adsistite, fratres
Terrigenæ: Cœlum abripiam, vel Jupiter obsit. »
Hæc, quatiens vasta fœdatam morte securim,
Jactabat: calamumque tamen non sensit Orethis.
Guttura transadigit telum: ruit improba moles:
Et raptor Cœli paucam rapit unguibus herbam.
Incassum glaucis oculis, flavente capillo,
Virgatisque sagis, atavos retulere sicambros
Vibur et Amphridus: vario concurrere ferro,
Addere calcar equo, præruptos vincere saltus
Scilicet, at nunquam plumbi depellere glandes
Fulmineas pater erudiit bellator Aricmon.
Funditur Alcippus divinæ missus ab oris
Trinacriæ: assuetus verubus configere ceten
E puppi, super atque salum, te, fronde revinctus,
Compellans, Neptune pater, geminare choreas.
« Nectite serta fero, pueri; pede tundite cymbam,
Rex pelagi, cantabat, adest: date carmina ventis. »
Ast, arcum execrans pro sacra cuspide sumptum,
Funditur Alcippus cœloque excedit iniquo.
Discussa cervice ruit, spargitque cerebrum
Floridus Eucalion, diti quem celsa Nearco
Sustulerat Nilce. Molli pellectus aquarum
Attactu, forma insignis, tranare solebat
Flumina nocturnus, pulcram per cœrula jactans
Cœsariem: adtonitæ spectabant margine nimphæ.
Nunc jacet horrendum quidquam: nec flumina nossent
Dulces exuvias dulci jam gurgite mersas.
Tuque, Theandre, peris, nimium confisus aruspex:
Numen quippe tuum centenos litore cycnos
Desuper in gyrum, niveis plaudentibus alis,
Conspiciens olim, tibi tot numeraverat annos.

Hæc tamen atra dies numerum non visa fefellit:
Ilia nec pecudum stellasque aviumque volatus
Amplius excipient oculi: nam cuspidis ictu
Transvorso incestant, divulsi, sanguine malas.
Fidite aruspiciis, dum vertunt stamina Parcæ.
  Nec penitus capiti properantia fata repulsant
Dytricus et Phœnix. Turmarum ductor uterque,
Chymbracidæ, auratos clypeos trabeamque nivalem
Gestantes, galeisque procul radiantibus hydram,
Vix dum lœva sonans geminas fert aura catejas,
Vulnere deficiunt tacti: campoque trahuntur
Supplicibus multis: obstat mavortia virtus,
Indomitusque pudor, mortisque accensa cupido;
Ast iterum precibus socii obtestantur amaris,
Utque duas stabulum conlapsas excipit ursas,
Chymbracidas demum castra excepere cruentos.
  Ferreus extemplo curvis sonat arcubus imber:
Ungula cornipedum quatit æquora: pulsa cavernis
Mugit terra cavis: huc illuc, agmine fracto,
Dissiliunt acies: conflagrant ensibus enses.
Terrificus Mars ipse furit: rigat ora, lavacrum
Obscenum, digitosque cruor: cruor asperat iras:
Asperat et lituûm crepitus tonitrusque phalangum,
Quadrupedumque pavor superadventantibus hastis.
Nec patet ulla salus: via quæque inmittit Avernum.
Undique fit funus: sternuntur litora magnis
Corporibus: sentes circum scopulique nefandi
Tabescunt: saniesque vocat super æthera corvos.
  Quot periere! virûm species quæ indigna cadentum!
Quam superest, heu, parva manus! Proscindite, matres,
Virginibus pactis textam proscindite vestem,
Quæ lusit tenera longas dulcedine noctes.
Nec lacrymæ sævum flectent Acheronta: supremus
Nunc labor est tumulo mœstas posuisse coronas!
Felices, quarum ante diem tamen ossa quierunt!

Imperio procerum reliquis utrimque refectis
Ordinibus, rursum arma fremunt, oculisque minantur
Sique pares cecidere, pares superesse recusant.
Ceu duo, quos, contra, vetus impulit ira, leones
Vulnera congeminant, fessos nec linquit Erynnis
Insaturata: solum, recubantes, sanguine rorant:
Increpitant malæ: collucent lumina: vastis
Horret uterque jubis et cauda verberat auram,
Non secus exardent obversæ hinc inde cohortes,
Seminecesque per arma petunt absolvere fatum.
Haud procul hinc juvenes, elapsus cœde maniplus,
Ismaris, Autolicus, Theramisque, Agarisque, Diasque,
Munere ab exacto capiunt bona numina: remque
Supremam tentare parant, Corylumque reposcunt.
At Corylus tristis (nigram melioribus horam
Mens præsaga canit) « Vos, vos, celerate triumphum,
Nos moriemur, ait. Genitori hæc ferte, sodales,
Verba tamen: — Me pulcher equus, strepitusque tubarum
Et sub corde fremens certandi arcana voluptas
Proripuit: pœnas nunc sentio rite daturum.
Hactenus at patriæ me vovi prorsus egenæ
Materno et cineri: non saltem cernere passus
Hostilem adventum, dextra doliturus inermi.
Nunc operi extremo, quid sors decreverit, adsum.
Quamquam, o.... sed multos misi, jaculatus, ad Orcum,
Satque superque manet quo pulcra in morte recumbam.
Sique, nefas! potui vultus perferre parentis
Qui mihi ter palmas, frustra remoratus euntem,
Ter, memini, adtritas palmas sine voce tetendit,
Ignoscat, Superosque precor matrisque sepulchrum,
Ignoscat puero! Morior, pater optime, lætus,
Nostra etenim magnæ comitantur funera mortes. ».
Hæc, ubi fatus, equo, medium se immisit in hostem
Terribilis; quamquam servasset purpura vultum
Virgineum tenuesque sonos simul ora referrent.

« Numquid cum pueris bellum est? » hæc verba Lyciscus
Profudit, multum inridens : posuitque pharetram.
Ast ille inrisus: « Procer, huc huc spicula torque,
Nos pueri patiemur » ait: hervoque potentem
Immisit calamum: et calamum torquere paratus
Dum detrector erat, trajectus tempora, turpem
Mandit humum cernitque suam sub Tartara sedem.
Tunc Cœptes, vastum robur, fraterque Lycisci
Letifero ut vultu sævi micuere furores,
Cornipedem pellit: nec cautus cæde futura,
Quam propere indigno capiti Fortuna rependat!,
Corripit exultans puerum penitusque coruscum
In pectus gladium, confosso tergore, mergit.
Ad terram fluit ille : manus sparguntur inanes:
Deserit ora color: præceps nox occupat artus:
Squalentemque auro tunicam, phalerasque superbas
Inficit exundans ingenti vulnere sanguis.

O miserande puer! patrio consistere clivo
Præstiterat, levibusque feras terebrare sagittis
Per sylvam, aut plectro cui dexter risit Apollo,
Dulcia nunc revocare tuam sub sidera Coryn!
Cory, et fusa comas versisque in pectora palmis,
Tu fugies, Corylum Corylum, bacchata per agros,
Compellans frustra : Corylus, sub nocte receptus,
Nequidquam, infelix!, poterit tibi reddere vocem.
At, spera: velut iste tuus, recubabis in umbra,
Corys et ipsa, Deûm pietas si flectere mentem
Sciverit, immeritusque dolor noctesque diesque
Crudeles teneram consument funere vitam.
Tunc, si fata sinunt, mœstam tetigisse cupressum
Et terram et violas, qua somnum læta capessis
Invictum ; lacrymæque simul mihi lumina mactent,
Lumina quæ toties formam stupuere decoram,
Carmina polliceor, subeat modo Musa vocanti,
Carmina polliceor non concessura per ævum.





